

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.**

**Phaedrus**

**Rintelii, MDCCXXXVIII**

**VD18 13044567**

Fab. XXIII. Canis fidelis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17134**

gratissimam, ac facile potueris supplex cum libertate tot scelerum impetrare veniam. Sed quia omnem propterea impendis operam: vt tibi tuisque commodis seruias: vt non solum adeo tibi inuisos cohubeas morsu mordaces; verum etiam ipsa nefaria fauce absumas, quae mures vel arrodere fuerunt conati, vel intacta reliquerunt: noli iactantia vana beneficium exprobrare mihi. Quo dicto, reluctantem atque furentem audacia iectu percussit misere, ac letho dedit. Hoc in se dictum, arbitrari debent omnes, qui publicis res praeferunt domesticas, atque dum priuata quaerunt commoda, non verentur sua imprudentibus commendare merita.

## FAB. XXIII.

*Canis fidelis.*

Repente liberalis stultis gratus est;  
Verum peritis irritos tendit dolos.

Nocturnus quum Fur panem misisset Cani,  
Obiecto tentans an cibo possit capi:  
Heus, si, inquit, linguam vis meam praecludere,  
Ne latrem pro re domini: multum falleris.  
Namque ista subita me iubet benignitas  
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

*Inuisa malorum liberalitas bonis.*

Qui repente praeter opinionem liberalis est,  
stultis quidem valde placet; rerum vero minime securis atque prudentibus imponere nequit. Fur noctis opportunitatem captans,  
atque rebus inhians alienis, studet intrare aedes,

des, canis formidandi probe custoditas vigilia.  
Huic cum frustum obiceret panis, atque experiretur, an beneficio quodam conciliari pos-  
fit: heus furcifer, inquit canis, meam frustra  
studes paecludere linguam, quo minus do-  
mini latrando pergerem tueri bona. Multo  
enim magis haec inopinata beneficentia tua  
me vigilare iubet, atque cauere, ne quid res  
domestica detrimenti capiat, et tu, mea cul-  
pa, inquis moliminibus lucrari possis.

## F.A.B. XXIV.

*Rana rupia et Bos.*

Inops potentem dum vult imitari perit.

In prato quodam Rana conspexit Bouem,  
Et tacta inuidia tantae magnitudinis,  
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos  
Interrogauit, an boue esset latior?  
Illi negarunt. Rursus intendit cutem  
Maiores nisu: et simili quaesiuit modo,  
Quis maior esset. Illi dixerunt bouem.  
Nouissime indignata, dum vult validius  
Inflare sese, rupto iacuit corpore

10

*Metiatur se quisque suo modulo ac pede.*

Pauper, si diuites vult imitari, ad exitium  
ruit. Aliquando rana obambulantem in pra-  
to, et pascua superbientem vidi bouem, eum-  
que tantae magnitudinis esse, obstupuit. Mox  
ipsa mouetur pulchritudinis inuidia, vt rugo-  
sam inflaret pellem, suosque natos interroga-  
ret, num forma et magnitudine iam sit pae-  
stantior boue. Negantibus illis, cuticulam  
vento